



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacri sacerdotij defensio co[n]tra Lutheru[m]

Fisher, John

Coloniæ, 1525

VD16 F 1240

Tertivm Axioma.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30878

quatenus hæc uarietas in ecclesia perpetuaret, nimis ut eēt quidā qui referrent aplos, alij qui formā septuaginta discipulo rū exprimerent. Neq; istud absq; sacri spūs instinctu fecisse credunt, & maxime quū exēplar eius rei tā euidentis ante fuis- set eis a Christo traditū. Nec opinor quenq; esse tā hæreticum ut neget illā uarietatē a Christo fuisse institutā. Quod si fateatur, cōsequens est ut cōcedat illos gradus nequaq; singulis de plebe cōuenire, sed in eisdē gradibus instituti quosdā oportere per eos, quibus hæc authoritas cōmissa est, de qua re mox plura dicemus. Liqueat insuper nec absurdū esse, quod per eos dē maiores nostros traditū est, ut qui successerint apostolis, & primū in ecclesia gradū tenuerint episcopi uocent, atq; maio- res sacerdotes. Alij uero qui secundi gradus, hoc est, septua- ginta discipuloꝝ formā tenent, minores sacerdotes & presby- teri dicantur. De qua re quoq; pluribus infra dicendum erit. Sed hæc pro axiomate secundo sufficiant.

TERTIVM AXIOMA.

¶ Congruū est ut qui ad hunc modū pastores Christiano gregi constituti sunt, hi præ cæteris dono gratiæ copiosiori perfundantur.



NON potest quisq; de huius axiomatis ueritate du- bitare, qui creaturæ ordinē in uniuerso contem- plat. Nā illic cernere licet quē in modū corpora superiora, quibus uelut organis quibusdā inferiora moderat deus, pluribus exornant donis q̄ inferiora. Nam quū dei fuerat institutū, ut hæc inferiora quæ prona ad inte- ritū erant, & corruptioni obnoxia, perpetuarent, ideo uoluit ut essent quedā sublimiora corpora magis durabilia, quæ suis ministeriis & influentijs continuā in illis perpetuarent gene- rationē & uitā. Quibus & ob eū finē eximias uirtutes tribuit, nimis lucendi, & illuminādi, calefaciendi, humectandi, uiuificandi, tonandiq; & choruscandi. Neq; dissimiliter in ecclesia fieri cōueniebat, quæ quasi spiritualis quidā orbis est, & cœ- los ac terrā in se modo spirituali cōplectitur. Propter quod et psalmo. 18. David spiritu præuidens futuræ ecclesię statum & ordinē, aplos ac cæteros dei ministros in ecclesia

XI

Cœlestiū in-
fluentia perpe-
tuat inferiora.

Ecclesia spiri-
tualis orbis ē.

CONGRESSVS SECVNDVS

rat, plebē uero terris, Cœli (inquit) enarrant gloriā dei. Nā ut cœli discurrentes lucent, calefaciunt, humectant, uiuificant, tonantq; & choruscant, sic apostoli cæteriq; ministri per uniuersum orbem haud dissimilibus ministerijs spiritualiter usi sunt. Lucent enim uita, calefaciunt ardore charitatis, humectant saluberrimis cōsilijs, ingentibus promissis uiuificant, tonant minis, miraculis choruscant, ut nō immerito de eis in eodē psalmo Dauid dixerit. In omnē terrā exiuit sonus eorū. Et quoniam ecclesia semper una manet & integra, neq; minus iam eiusmodi ministris egeat, q̄ apostolorum temporibus, iccirco nunc idētidem est necessarium, ut hi qui uices apostolorum supplent, dotibus ad ministerium suum accommodis pariter exornentur.

XII ¶ Adde, q̄ in humano corpore, quod & maioris mundi ordinem imitat, membra illa sensoria, quæ ad totius corporis utilitatē donata sunt, maiori uirtute pollere conspicimus, q̄ cætera. Sed & inter illa, quo sublimiora quæq; fuerint, eo quoque fieri præstantiora. Nam tangendi organum quod uilius est & crassioris substantiæ q̄ cætera, nempe q̄ terræ respondeat, nō nisi quæ proxima sunt discernit. Gustandi uero organum, ut aliquanto excelsius, ita & subtilius est (nam subtilitatem aquæ refert) etiam quæ aliquanto remotius posita sunt diiudicat. Olfaciendi quoq; sensoriū, q̄ illis adhuc sublimius ac sit sereneius, quippe quod nebulæ referat tenuitatem, igitur ad longe maius interuallum, suum dinoscendi iudicium porrigit. Audiendi præterea & illis præstantius est & purius. Nam & aeris puritatem atq; subtilitatem repræsentat, quo fit ut multo ampliorem distantiam sensile suum depræhendat. Deniq; uidiendi organum ut est præ cæteris excelsiori loco positū, ita & maiori uirtute præditum est, syderūq; decorem imitatur. Nā & intus habet nonnihil fulgidum, & insuper ad amplissimū interuallum uisibilia percipit.

XIII ¶ Quemadmodū igitur in humano corpore membra quæ magis egregia sunt, uiribus potioribus decorantur, ita similiter & in ecclesiæ corpore par est, ut ea membra quæ cæteris præsunt, copiosioribus a deo gratiæ donis perfundantur. De

qua re fusius in axiomate proximo dicturi sumus

¶ Sed ut ad scripturarū exempla tandem ueniamus, Mo^s XIII
 ses quū nimia pressus cura prope sub ipso onere deficeret, nec
 sufficeret ad tanti populi gubernationē, iussit illi deus dicens. Moses consti-
 tuit iudices.
 Numeri 11
 Congrega mihi septuaginta uiros de senioribus Israel, quos
 tu nosti, q̄ senes populi sint ac magistri, Et duces eos ad osti-
 um tabernaculi fœderis, faciesq̄ ibi stare tecum, ut descēdam
 & loquar tibi, & auferā de spiritu tuo, tradamq̄ eis ut susten-
 tent tecū onus populi, & non tu solus graueris. Quod & fa-
 ctum est. Si ueteris igitur & iam antiquatæ synagogæ tātā
 curam gesserit deus, ut ipsius gubernatoribus huiusmodi gra-
 tiam contulerit, quāto magis id fieri cōgruit pro ecclesia, quæ
 ex multitudine gentiū collecta est, & Christi sanguine redē-
 pta, imo sponsa Christi iam effecta. Christus præ-
 fecit ecclesiæ
 praelatos.
 Proculdubio quum ipsa
 nunc in huius mundi deserto peregrinat, neq̄ pauci pastores
 huic tantæ plebis gubernationi sufficiant, congruū est, ut in
 plures ipsa curarum moles distribuatur, pariterq̄ dotes grati-
 arum ipsdem a diuino spiritu cumulatiù impertiant, quo pos-
 sent id muneris fructuosius exercere.

¶ Similiter & quū in deserto destinarit deus fœderis taber-
 naculum esse fabricandum, nec repertus esset quisq̄ peritus XV
 artifex, qui norit hoc ipsum fabrefacere, impleuit quendā no-
 mine Beseleel filium Huri spiritu dei, eundemq̄ locupletauit
 sapientia, intelligentia, & scientia, quo possit in quouis opere
 excogitare, quicquid fabrefieri debuit ex auro, argento, ære,
 marmore, gemmis, & diuersitate lignorum, cui & socium de-
 dit Oolial filium Achisamech ut Exodi. 31. scribit. Hoc pro
 tabernaculo fœderis iam abolito fecit deus, & pro C H R I
 S T I corporis mystici tabernaculo, quod iam indies ædifica-
 tur nullos magistros tanti operis curabit constituere, neq̄ cō-
 stitutos necessarijs gratiæ dotibus exornare studebit? Alie-
 num utiq̄ foret istud a beneficentia dei, qui quum aliquid o-
 peris meditatur, nunquam deficit in medijs, quæ pro fine o-
 peris consequendo necessaria sunt.

AXIOMA QVARTVM.